

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Andreae Alciati Emblemata

Alciati, Andrea

Patavii, 1661

Qua dij vocant, eundum. Emblema VIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-127360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127360)

Quà Dij vocant, eundum.
EMBLEMA VIII.



In triuio mons est lapidum: supereminet illi
Trunca Dei effigies, pectore facta tenus.
Mercurij est igitur tumulus: suspende viator
Serta Deo, rectum qui tibi monstrat iter.
Omnes in triuio sumus, atque hoc tramite vitæ
Fallimur, ostendat ni Deus ipse viam.

COMMENTARI I.

I. PICTVRAM hanc feliciter restituit Pignoritis, idque ex Autoris mente. In triuio siquidem cernitur acruus lapidum, cui superimpositus Mercurius *truncatus*, truncus brachijs, & pectore tenus. Mittabant enim viatores lapides ad pedes Mercurij religionis gratia: atquide erat, quod simulacrum illud effingebatur pectore tenus, ne opera & sumptus frustra consumeretur in partibus inferioribus elaborandis,

quæ mox essent lapidibus obruenda. Citat insuper eruditissimum Commentariū Hieronymi Aleandri, in quo ille Solis Pantheologiam, ex antiquorum sententijs, eleganter asseruit.

HVIUS Emblematis character mihi videtur penè sumptus à Suida, ex quo dicimus Hermas esse Mercurij quasdam statuas: quo loco adducit Meneciem quendam, siue Callistratem in opere de Atheniensibus

II.

Hermæ
statua.

nientibus, à varia porticu adusque regionem
statuas esse, quæ Hermæ dicuntur: vnde lo-
cum id accepisse nominis ait, quia multæ
ibi & à priuatis, & à magistratibus dicatæ
essent, ex quibus quidam Hermæ Hippar-
chei, ab Hipparcho Pisistrati dicebantur:
fuisseque Hermas saxæas in ædium vestibulis,
& in fanis. Addit deinde ἑρμαίων, primi-
cias esse ad statuas Mercuriales, quæ in
vijs collocebantur à viatoribus Itemque acer-
uos lapidum Mercurio sacros in obscuris
vijs, quæque non ita cognita essent pere-
grè euntibus. Vnde illud Damasceni: ἡ
ἰδέσκει ἑρμαίων ἐν τετυχίταις, ὃ μοὶ πε-
ρὶ συζῶν, id est: Videbatur sibi in Hermaum
incidisse, quisquis in me incidat. Recreat
enim viatorem, vbi dubius de via, reperit
aceruum Mercurij, Interpres Homeri
ἑρμαίων vocat, lapidum congeriem, ad
Odyss. ρ. ἢ λιθίνον σαρῶν. Epigramma-
tarius: & ἑρμαίων λόφος, Hesychius. Is ho-
nos congeriei siue cumuli lapidum, viro-
rum fortium tumulis solitus fuit confer-
ri; testis est Paulianus. Serabo: παρὰ δὲ τὴν
δὲ τὴν ἰδὸν ἢ ἰδὲν ἰκατέροθεν πο-
λαχὺ ὡσπερ ἑρμαία πύργον ἠλίβατον
τρογγύλον. Repetio & eiusmodi Hermas
imponi solitas fuisse tumulis, ad propagan-
dam defunctorum memoriam. Virg.
Monte sub hoc lapidum tegitur Ballista
sepulchus.

Hermæ
statua.

M. Tullius 6. ad Atticum: Hermæ tui pen-
telici curi capitis æneis, de quibus scri-
psisti, iam nunc admodum delectant. Sed
gymnasijs solitas fuisse cōlectari Hermæ-
thenas, id est, statuas Mercurij & Mineræ
iunctas, idem alibi significat Cicero: Quod
ad me, inquit, de Hermæthena scribis, per
mihi gratum est, ornamentum Academiae
proprium meæ, quod & Hermes commu-
ne omnium, & Mineræ singulare insigne
eius gymnasiij. Didicimus adhæc ex Ste-
phano & Hesych. Græcis auctoribus, Mer-
curium Hodium & Hegemonium fuisse
priscais appellatum (ὁ δὲος καὶ ἡγεμόνιος
ἑρμῆς) tum à vijs, & semitis, in quibus sta-
tuebatur ad viam monstrandam peregrè
proficiscentibus, Proinde Hermæ, id est,
statuæ Mercurij, & lapidei ligneive cippi
solebant in triuijs erigi, ad indicanda via-
rum discrimina, quia ἀντὶ τῶν δόων ἐπὶ πᾶ-
σαν ὁρᾶσεν ἡγεμόνιος ἑρμῆσθαι, ait Phur-
natus. Viatores itaque statuas solebant la-
pidum acervos cumulare: sic enim Deum

putabant honorari, ea scilicet re, quæ in
promptu esset & obuia: vel quod ita viam
reputare viderentur: vel quod eo lapidū
cumulo Dei effigies prætereuntibus esset
notior. Vlpianus, auctor Græcus, annotat
ad orationem Demosthenis aduersus Leptinem,
Hermas, id est, Mercurius eiusmodi fuisse
quadrangulos, superiore parte Mercurij
figuram referentes, inferius inscriptiones
viarum ostendentes. Quæ de re Gyraldus
Syntagmate 9. Huc respexit Iuuenalis,
cum ait:

----- truncosq; simillimus Hermæ:

Hinc quoque Prouerbia: Mercurio dextro;
Mercurius bifrons; τρικέφαλος ἑρμῆς, Tri-
ceps Mercurius. Effingebatur olim triiceps
Mercurius, quia Physicam, Ethicam, &
Logicam amplectebatur: seu quod cœle-
stis, marinus, ac terrestris crederetur. Ta-
lis quoque solebat in triuijs apponi cum in
scriptione in singulis capitibus, quod duce-
ret via hæc, quod rursus illa. Huiusmodi
Mercurij simulacrum primus posuit Pro-
clides, auctore Philochoro. Huc quoque fa-
cit paræmia, ἑρμαίων, Mercuriales: quæ dū
Erasmus explanat, sumit multum opere,
nec tamen quicquam proficit. Nos alius
fabulam repetamus, vt loco difficili, qui
Erasimum torsit, lucem aliquam afferamus.
Didymus in lib. 16. Odyssææ, huius-
modi fabulam narrat ex Anticlido. Mer-
curius, inquit, præcipiente Ioue, vitam eri-
piens Argo Ius custodi, à Iunone alijsque
Dijs in iudicium ductus est impacta dice,
eod quod primus dæmonum cæde morta-
lium esset coinquinatus. Conueniunt in
iudicium Dijs, iudicant tamen par & æquæ
esse, vt Mercurius dicto Iouis audiens ef-
set, quandoquidem illius est nuncius. Ab-
soluentes denique Mercurium à cæde, sur-
reperunt, & ad illius pedes niueas atque
tesseras, quibus erat vel absoluendus, vel
dammandus ille, proiecerunt. Inde morta-
les vsque in hæc tempora in Mercurij ho-
norem per vias lapidum tumulum consti-
tuunt: quoniam Mercurius est viatorum
Deus. Et hos tumulos vocant ἑρμαίως λό-
φος. Hæc Didymus, quem vide latius hæc
narrantem. Quis iam dubitabit, locum il-
lum Prouerb. 26. ex hac antiquissima fabu-
la posse interpretationem suscipere? Sicus
qui mittit, inquit Salomon, lapidem in a-
ceruum Mercurij, ita qui tribuit insipienti
honorem, Quasi dicat; Inscitia est lapideæ
D 3 Deo

Hermæ.

Mercuri-
us tri-
ceps.

ἑρμαίων

Mercuri-
us cur
Hodius
Hegemo-
nius di-
ctus.
Mercurij
officia.

Quid no- mine Mercurij.

Deo obsequium prestare, lapides coaceruando ab illius statuam. Ceterum ne transsiliam quod ad rem pertinere videatur, hic Mercurij nomine olim Deorum nunciij, vel sacras literas (quæ nobis diuinam voluntatem aperiunt) intelligimus: vel Prophetas & Doctores, sacri & celestis oraculi nuncios, ex quibus orthodoxam salutis æternæ viam & rationem excipere est necessesse. Serta autem suspensa, honorem cultumque aliquem obseruantia exhibendum esse significant. Nec malè huius Emblematis origo referretur ad adagium illud quod refert Plutarchus in lib. de audiendo, & inter septem Græciæ sapientiam oracula celebratur, ἔπε Οὐρανὸν. Deum sequere. De quo vide Chiliad.

Deum sequere.

III. Triuiū.

IN triuiū] Triuium est locus, vbi tres pluresve viæ diuiduntur, incipitem dubiumque reddens itineris ignarum, de quo multa apud Strabon. lib. 5:

Mons est lapidum] Prouerbiū subest, ἱερμαῖον. Mercuriale, de quo iam dictum est. Nec perperam id accipies pro salebris, ærumnis, & difficultatibus, quæ in vitæ genere deligendo cuius occurrunt.

Trunca Dei effigies] mutilis & truncatis artibus: nam monet, monstratque viæ flexus ipse immotus Mercurius; quia satis est admodum eri à Doctore, etsi ipse viam sepe non ingrediatur.

Pectore sacra tenus] Nihil præter consilium, quod è candido pectore promanet, exigitur à præceptore; reliqua tu ipse opere præsta, quod monet.

Mercurij] Interpretis & nunciij Deorum, de qua re plura Cicero in lib. de Natura Deor. qui viam rectam hæsitanti viatori monstrat: peregrinantibus enim opitulari alatum illum Deum olim putarunt. Mercurij fuerunt multi, sicut multi Hercules: sed poete vnum faciunt eloquentiæ præsidem, Deorum nunciū, mercatorum & furum Deum. Vide adagium: Expedi habere plura cognomina. Dicitur est Mercurius à mercibus, vt ipse videtur innuere apud Plautum in Amphitr. Aut dicitur, quasi medius currens, quod sermo currat inter homines veluti medius; eloquentiæ namque parens est. Vnde si quando silentium in multorum conciliabulis exoritur, dici consuevit prouerbialiter; Mercurius superuenit. Ο ἱερμαῖς ἱπεισελέλυθεν. ac si nefas foret loqui præsentē Mercurio.

Mercurius unde dicitur.

Dicitur est Græcè ἱερμαῖς, propterea quod Græcos (vt refert Diodorus) verborum docuerit interpretationem. Vnde etiam Virgilius eum interpretem vocat: Nunc etiā interpres Diuū Ioue missus ab ipso. Et paulò post: Interpres Diuū fert horrida iussa per auras. Plura de Mercurio consultò omittimus. Vide Cæsarem lib. 6. bello Gallico, Macrobi. Satur. 1. cap. 19. Natal. Comit. Mythol. lib. 5. c. 5.

Interpres

Estigitur tumulus. In alijs quibusdam exemplaribus legitur Cumulus: sed vtraque lectio tolerabilis. Tumulus, quasi tumens tellus, pro sepulcro frequentius vsurpari solet. Qui verò loco vocabuli tumulus, aut cumulus, legi malunt facies, non mihi probantur: quia vocabulum, facies, pro effigie aut statua hic veram Latinitatem non sapit. Non desinam prius quàm quod improba lectio obseruauit, studiosis rerum antiquarum communicem. Olim consuetudine receptum fuit, vt superstitionis temerè oblatos in via lapides stipitesque, tanquam numina colerent. Apuleius de asino: Neque iustus religiosam moram viatori obiecerit, aut ara floribus redimita, aut spelunca frondibus inumbrata, aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata: vel en in colliculus sepmimine consecratus, vel truncus dolamine effigiat, vel cespes libamine humigatus, vel lapis vnguine delibutus. Propertius:

Et quicumque sacer, qualis vbiq; lapis. Xenophon: καὶ τὸς μὲν ἐδ' ἱερῶν, ἔτε βομῶν, ἔτ' ἄλλων τῶν θεῶν ἐδίε τιμῶν, τὸς δὲ χαλίδες, καὶ ζυλάτα τυχόντα, καὶ θύρια σίβεσθαι. Viator.] quicumque sis hac in vita hospes, vt omnes reuera sunt. Plato vitam nostram modò viæ, modò peregrinet cui similem facit. παρεπιδημία γὰρ ὁ βίος. Suspende sarta Deo.] Plinius historiam mundi 21. c. 2. inter sacra tantum & bellicos honores, coronis nomen suum vindicantibus. Idem 3. c. Et iam tunc coronæ Deorum honos erat. Quibus ex locis intelligimus, coronas statuis rebusque sacris olim solitas appendi. Quòd si quis auctoritatem etiam aliorum sibi dari postuler, adferre possum Apuleium, qui sic 3. de asino ait: In ipso verè medicullio, inquit, Hipponæ Deæ simulacrum refidens ædiculæ, quod accuratè corollis roseis, & quidem

Viatoris hominis

De coronis quibus statuis Deorum appendebantur.

quidem recentibus fuerat ornatum. Et 4. lib. Iamque per plateas commentem, populi frequenter floribus, fertis, & solutis adprecatur. Idemque libro vndecimo, simulacrum Lunae describens: Corona, ait, multiformis varijs floribus sublimem distinxerat verticem. Et paulo post: Dextra proferens sinistram Dea coronam, mihi etiam Hercules coronam consequenter. Itemq; Nam sibi visus est quiete proxima, dum magno Deo coronas exapat. Ad hunc veteram ritum respexit Ouid. Fastorum 2. de Atione loquens, qui citharædus à piratis captus, iamq; de vita desperans, capis ille coronam

Qua posset crines, Phoebe, decere tuos. Apponam & Tertulliani locum è lib. De corona militis, vbi ait Pandoram primum à Charitibus coronatam, honoris causa, scilicet, cum à Dijs omnibus muneraretur. Vel etiam suspende ferta, tu qui studium aliquod aggredieris, docilem te & amabilem præsta: persolue δὲ δακτυλον & honorarium tuo doctori. Quid enim ridendo dicere verum nil vetat.

Rectum, qui tibi monstrat iter] τὴν ὁρθὴν ὁδὸν, qui sit tibi ἐν ὁδοῦ, quod tributum olim Mercurio epitheton. Vel rectum iter, ad μέθοδον refero, quæ nomen habet ab ὁδοῦ. id est, via: Estque nil aliud quam recta vis, & ratio seu institutio bene docendi.

Omnes in trivio sumus] In trivio dicuntur esse ij, qui dubitant, quiq; incerti sunt animi, hæsitantes quid potissimum eligat. Iuxta Ovidianum illud, Factor. 5.

Vt stes, et incertus, quæ sit sibi, nescit, eundem

Cum videt ex omni parte viator iter.

Theognis: ἐν τρεῖσιν ὁδῶν ἐστὶν ἡ ἀρετή. In trivio consisto. vt enim viam sæpe pro consilij ratione poni solemne est Græcis: sic τρεῖσιν ὁδῶν, pro incertitudine consilij. Itaque Plato 7. Legum, καθ' ἑκάστην ἐν τρεῖσιν ὁδοῦ γενόμενος &c. monet, ne ad rem nouam & inuitatam amplectendam accurramus, sed consistamus, quasi ad tritium aliquod venerimus. & Minutius Felix in Octa. vt qui rectam viam nescit, vbi, vt sit, in plures vna diffunditur, hæret anxius, nec singulas audet eligere, nec vniuersas probare: Sic cui non est veri tabille iudicium, &c. Sic hac in vita tot tantæque sese offerunt difficultates & salebræ, vt facillè fallamur, nisi

Deus ipse nobis rectum ostēdat iter: quod vt faciat, enixè rogandus, omnique reuerentia conatu venerandus est.

Tramite vita.] curriculo vitæ & decursu. Toto disticho eandem continuat ἀλλήλοισιν à viatoribus. Trames, transuersa & obliqua semita.

Ostendat ni Deus ipse viam.] ni sit ἡ ὁδὸς καὶ ὁ δρομὸς. Allusio ad illud Pindari: Δεὸς ἐκ προοιμίας, ab Iouis proœmio. quo significatur, conatus omnis nostri principium à Deo sumendum esse. Aristides oratione panegyrica: ἀλλ' ὡς περ ἔφη Πίνδαρος, θεοῦ δειξάντος ἀρχὴν, ὁ ὕδην δὴ τὸ καλόν. Sed, vt ait Pindarus, Deo initium ostendente, nihil erit impedimenti. Idem auctor alio loco eandem sententiam vsurpauit: θεοῦ δὲ, φησὶ Πίνδαρος, δειξάντος ἀρχὴν, ἐν δὲ δὴ κλέυθος ἑρπεῖν τὸ προκομμενόν: Deo initium monstrante, ait Pindarus, facilis est semita ad inueniendum quod propositum est.

1. PRÆSENTI quasi ænigmatio monemur, ea tantum sequenda esse, ad quæ Deus & natura nos idoneos esse voluit, cum summæ fatuitatis & dementiae sit, aliquid iniuxta, quod aiunt, Minertia suscipere & persequi. Rectè dicebat Cato apud Ciceronem, naturam optimam ducem sequendam, nihilque aliud fuisse olim gigantum more bellare cum Dijs, nisi nature repugnare. Cicero 3. De fin. commemorat inter præcepta veterum sapientum, quæ constat prouerbiorum vice celebrata: Quæ que sunt, ait, vetera præcepta sapientum, qui iubent tempori parere, & sequi Deum, & se noscere, & nihil nimis. Sed & D. Paulus adhortatur, eam vt fortem vitæq; rationem teneamus, cui nos Deus addixit. Sed quoniam menti humane ea est innata cæcitas & ignorantia, vt qua via sit eundem planè ignoret, omni piæ vitæ cultu, & summissa mente ad eum persequendum est, qui se viam, qui veritatem, qui vitam esse falsus est; quem qui sequitur, in tenebris non ambulat: continuoque illud Dauidicum nobis ardenti animo repetendum: γὰρ ἵσθι ἐν μοι κύριε ὁδὸν ἣν πορεύσομαι. Ostende mihi, Domine, viam, in qua ambularem. Certe & Socrates apud Platonem in Critone, pergendum ea solum esse via, qua Deus nos ducit, alleuerat. Quo pertinet illud Persij è 3. Satyra:

... dice quem te Deus esse

D 4 Inssie

IV.

Sequenda natura.

1. Cor. 7. Ephes. 4.

Pf. 143.

Methodus.

In trivio esse.

Inſite, & humana qua parte locatus es
in te.

Adde, quod tam crassa caligo, tamque su-
pina hominum mentibus inſita ſit ignora-
tio, ut quid potiſſimum ſequi debeat, qui-
uis ignoret, & niſi adiutus ope cœleſti, in
certam aliquam viam ſe recipere non po-
teſt. Dicebat enim ipſe ſalutis inſtaurator:
Sine me nihil quicquam efficere poteſtis.
Nec verò ſumus idonei ad aliquid vel cog-
itandum tanquam ex nobis; ſed ſi ad ali-
quid idonei videamur, id certè ex Deo eſt,
ait D. Paulus 2. Cor. 3.

In ovato
diſcipli-

2. Videtur hoc Emblemata non ma' è re-
ferri poſſe ad cuiuſq; vitæ genus & inſti-
tutum, ad quod ingrediendum cum diffi-

cilè ſit, opus eſt aliquo Mercurio, id eſt, in magi-
præceptore ſeu doctore, qui viam doceat. ſro opus
ſiue enim Philoſophiam attingamus, ſeu
Medicinam, ſeu Iuriſprudentiam, aut cœ-
Theologiam, vix aliquid abſque magiſtro
ductore proficiemus. Nam ſcholæ Philo-
ſophorum plenæ ſunt argutijs ſpinofiſ, &
opinionum labyrinthis. Medicina in mul-
tis fallax eſt, ipſaq; τὰ γρη μακρῆ, ἢ δὲ
πέτρα σφαιερῆ, ἢ κρισις γαλεπῆ. Per-
petua eſt inter Iuriſconſultos altercandi
alea, unde lites immortales. Theologia ea,
quæ in ſcholis ventilatur, quantis ſcæteat
difficultatibus, notius eſt, quàm ut pluri-
bus edicatur. Vbiq; igitur perito & ſincero
opus eſt magiſtro.

Fidei Symbolum.
EMBLEMA IX.



STET depictus HONOS, Tyrus velatus amictu,
Eiusq; iungat nuda dextram VERITAS:
Sitque AMOR in medio castus, cui tempora circum
Rosa it, Diones pulchrior Cupidine.

Con.